HIERONYMI RAGAZONI EPISCOPI BERGOMI ORATIO

Ad Amplissimos S. R. E. CARDINALES, eorum iussu habita, cum post obitum GREGORII XIV. ad nouum Pontificem eligendum Conclaue essent ingressuri VI. Kalend. Nouemb. M.D.XCI.



ROMAE,
APVD PAVLVM DE DIANIS M.D.XCI.

RR. DD. Vicarij S. D. N. Vicesgerentis, ac Magistri Sacri Palatij Licentia.

A 1

HIERONYMI
RAGAZONI
EPISCOPI BERGOMI
ORATIO

Ad Amplissimos S. R. E. CARDINALES, eorum iussu habita, cum post obitum GREGORII XIV. ad nouum Pontificem eligendum Conclaue ingressuri VI. Kalend. Nouemb. M.D.XCI.

ROMAE,
APVD PAVLVM DE DIANIS M.D.XCI.

De R. P. D. Vicarij S. D. N. Vicegerentis, ac Magistri Sacri Palatij Licentia.



ORATIO HABITA A HIERONYMO RAGAZONO EPISCOPO BERGOMI

De Subrogando Summo Pontifice.



ERTIA hæc Oratio est, quæ, mensium quatuordecim tãtummodò spatio, hoc eodem in loco habetur, de Summo Pont. in demortui locum subrogando. O magnum humanæ imbecillitatis argumentum. O graue, & ponderosum, his præsertim calamitosissimis temporibus, supremi Apostolatus officium, quod anxias, noxiasque curas parit, vires opprimit, vitam adimit. In Oratione hac propositum mihi nullo modo est, Cardinales Amplissimi, leges vobis aliquas præscribere, præcepta tradere: Quis enim ipse sum, vel alius quisquam, qui Vrbis, Orbisque Senatum, Ordinem augustissimum, viros vndique à Spiritusancto selectos, & ad præcipua Ecclesiæ suæ munia obeũda segregatos, audeat instruere? Sed cum ego vestro iussu, atque imperio, quod mihi sanctum, & grauissimum est, semperq; erit, huc ascenderim, atque ad id oneris propterea, quemadmodum interpretor, adhibitus sim, vt quod singuli diceretis, ipse, vestrum omnium nomine, pro-

feram; ea vobiscum breuiter meditabor, quæ profecto cogitatis in cordibus vestris. Summus Pont. vobis deligendus est, qui Christi Regis Regum, & Domini dominantium vices in terris exerceat. Nulla res ab hominibus agitur, hac ipsa vel excelsior, vel periculosior. Ars artium, & scientia scientiarum vere est, ex S. Gregorij Nazianzeni sententia, & aliorum, qui id quotidie tractant, experientia; Hominem, Animal omnium maxime varium, & multiplex, ad Deum, qui stabilitas ipsa, atque simplicitas est, adducere. Episcopi onus Angelicis humeris formidandum Sancti Patres existimarunt: vt etiam ab ipsis Pastoribus diuina quædam munera præstanda esse iudicarint: Nam purgare, illuminare, accendere (quæ à Sancto Dionysio Areopagita, omnium consensu Pastoribus tribuuntur) humanam quidem certe facultatem, & conditionem superant. Hæc vero si ad gregis vniuscuiusque Pastorem, & Episcopum pertinent, ad eum profecto multo magis pertinebunt, cui non solum Populi, Agnorum nomine, sed etiam Pastores ipsi, sub Ouium Titulo, pascendi sunt. Cæteræ omnes dignitates, & Imperia angulum quendam in terris amplectuntur: Hæc Pontificia potestas, & solicitudo globum hunc vniuersum comprehendit. Etenim cum nulla sit natio, nulla gens, quæ in Christi Domini, ac Saluatoris Nostri (cui omnia à Cælesti Patre suo tradita fuerunt) ditione non includatur: curam item omnium ad eum spectare non est dubitandum, qui eius personam sustinet: Vt Romani Pont. studium, & officium non iis finibus, quibus Christus colitur, sed quibus eius imperium extenditur, terminemus. Debitor est omnibus summus Pont. vigilare vbique debet, vndique prospicere, vt Christi Passio, quemadmodum pro omnibus peracta est: ita etiam omnibus prosit. Non Italia solum, non etiam Europa, quin neque horizonte hoc nostro eius auctoritas definitur: sed quicquid Solis radiis collustratur, Iustitiæ Solis Vicario cõmissum, & cõmendatum est. Altiora etiã conscendit tãti Pontificis iurisdictio: nam Cælum quoque penetrat, cuius clauiger est, & in quo rata habẽtur eius iudicia. Is honos, atque

hæc potestas, quo altior, atque latior est, eo periculosiorē eius electionē existimare iure optimo oportet. Præde enim, & sponsorem qui eligit, pro electo se quodammodo constituit. Vt si præstare hominem quemcumque anceps res, & difficilis iudicatur; quid de illo dicemus, ex cuius arbitrio pēdent vniuersa? Tam magno huic, tāque imminēti periculo occurrere vos, Patres Sapientissimi, paratos esse certo scio; auditurosque quid loquatur in vobis Dominus Deus: neque obduraturos corda vestra, fallacis, & fraudulentæ nescio cuius prudentiæ regulis deceptos, quas pœnitentia statim consequitur. Loquetur enim Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis pacem in plebem suam. Loquetur, vt semper solet, vtilia. Loquetur in Sancto Missæ Sacrificio, in pijs precationibus, in spiritualibus collocutionibus: suggeret vobis Pontificem, qui pietatem colat; virtuti faueat; rerum Ecclesiasticarum, atque etiam humanarum vsum teneat; vitia, & hæreses extirpare quam diligentissime studeat; pauperibus subueniat; Christianam religionē propagare totis viribus nitatur; Exemplo, & doctrina luceat, & ardeat, super Candelabrum positus, seruiens Populo Dei; Spiritualia temporalibus longe præferat: Carni & sanguini non acquiescat; Hoc honore non glorietur, memor illius, qui dixit: Eleuans allisisti me. Sacrum Triden. Concilium, in quo nonnullos ex vobis, Illustrissimi Card. atque aliquot etiam ex his Reuerendissimis Patribus, quos ex hoc loco conspicio, & agnoui, & in sententijs ferendis frequenter secutus sum, vt executioni plane demandetur, inuigilet; præcipue vero Pastorum Residentiæ, quo nihil in Ecclesia Dei vtilius, nihil fructuosius, ac morū reformationi intēdat diligēter; neque hanc prouinciam vnquam intermittat. Nam quēadmodum, qui aduerso flumine nauigant, si remiges inhibuerint, vnde discesserint, facile reuertuntur: ita ad malum prona vità hominū in præceps ruit, nisi in officio, ac timore frequentibus, ac quotidianis monitis, atq. præceptis contineatur: atq. illud inprimis hac in re Sūmus ipse Pont. cogitet, & meditetur, cæterarū Ecclesiarū omniū oculos, & aures hic versari, hic habitare,

tare,

tate & Romanam disciplinā obseruare, & contemplari accuratissime, vt inde exempla sumant ad imitandum: ac multo magis scandala posse ad demoliendum, quam honestas actiones ad ædificandum. Docebit vos idem Amator hominum Deus, Vnigeniti Filij sui exemplo, non esse deligendum, qui maxime diligatur (vt de Ioanne Apostolo traditum est) sed in quo, quasi in altero Petro, sit robur animi, & ad labores tolerandos, atque etiam ad eiusdem Christi Crucem (si opus sit) perferendā, alacritas. Verbum abbreuiatum denique ex hac diuina voce percipietis, eligendum esse, qui Deum præ cæteris diligat. Qua de re tantummodo in Pastorali illo examine interrogauit Petrū Saluator, & Magister Noster: cum illi eumdem Gregem cōmendauit, qui nunc à vobis electo erit commendatus. Ex hac in Deum singulari dilectione, ceu ex vberrimo fonte dilectio in homines emanat, caritatisq. proprietates omnes ab Apostolo enumeratæ deriuantur. Caritas virtutum omnium forma, ac prope anima est, vt probe nostis, Patres Sapientissimi: Prudentia enim, si eam absque caritate consideremus, in calliditatem degenerat; Fortitudo in temeritatem; Iustitia in crudelitatem: Actiones omnes sine Caritate vmbratiles sunt, aut certe infructuosæ. Lapis Lydius Caritas est; ad quem virtutes omnes, atque actiones, nisi quasi aurum probentur, adulterinæ fere existimantur. Præstantissimæ huius virtutis ardore flagrare vos, Cardinales Optimi, maxime credendum est, cuius insignibus ornati, & decorati estis. Neque vero hæc Summi Pontificis species, & forma, quæ descripta fuit, ac desideratur, eiusmodi est, vt in multis ex vobis, Cardinales Amplissimi, expressa non reperiatur. Seminarium semper fuit hoc Sacrum Collegium Summorum, Optimorumq. Pontificum; vt talium Virorum copia potius, quàm inopia difficultatem, atque ambiguitatem pariat in eligendo. Sed non solum in probata, verum etiam in celeri electione vestræ partes hoc tempore requiruntur: quo periclitatur Gallia, Regnum nobilissimum, deplorandum omnibus, sed ijs, qui illud viderunt, quàm maxime; augentur in dies, & propagantur hæreses, grassantur latrones,

oppida

oppida occupant; neque Episcopis parcunt; frugum inopia tota Italia laboratur: Vt puncto temporis ne quid incōmodi accidat, cui prouideri facile non possit, magnopere verendū sit. Quod si Ecclesia Dei, Sponsa Christi, quam nunc vestris humeris sustinetis, alloqui vos posset; hæc plane vobiscum ageret. Vidua ego proximo Sponsi mihi dilectissimi obitu, vobis Filij à Cælesti meo, immortaliq. Sponso tradita sum, vt me eius Vicario denuo copuletis. Rugam, aut maculam nullam habeo, sancta sum, formosa sum, mei similem Sponsum hic requiro; vt liberos procreemus quam simillimos nostri: Præsenti hac mea viduitate angustijs multis premor, periculis affligor. Festinate filij, Populo Dei Patrem, mihi Sponsum quam primum deligite. Et quandoquidem vestræ auctoritati, ac tutelæ, quasi pupilla commissa sum, meum solummodo commodum, & vtilitatem, ceu fideles curatores, respicite: & vobis ipsis etiam hac tanta in re diligenter consulite; seuerissimam Diuini Iudicij vindictam in huiusmodi electionibus à Summis Pontificibus comminatā, & vestrum eadem in re iusiurandū religiosissime præstitum extimescentes. Neque morituri paullo post Sanctissimi, atque Innocentissimi Pont. Gregorij (cuius memoria in Benedictione est) grauissimam ea de re admonitionem paterno affectu, summoq. amore prolatam, & omnium fere vestrum lacrymis exceptam obliuiscamini. Verum hæc vos Patres magni cōsilij, Diuinaq. mente præditi, cumulate præstabitis; satisq. Deo, & Ecclesiæ, vestroq. muneri facietis: exaudientur enim ex alto preces vestræ, tum priuatæ, tum hæ communes, & publicæ, quæ profecto magis valent ad ea impetranda, quæ postulamus. Etenim, vt in naui propellenda magni refert, si eodem tempore remis incumbatur: & in trahenda machina quod singuli non facerent, multi iunctis viribus consequuntur: ita copulatis, & consentientibus animis multorum Diuina gratia facilius comparatur. Atque id quidem merito. Nam cum nulla re magis oblectetur Rex Pacificus, quam pace, atque concordia, societate hac precum delectatur maxime, quæ tot spiritus, vnum efficit, voluntates coniungit, corda, mentesq. conglutinat:

nat:

nat: Vt tanto conatui Cælũ ipsum resistere vix, aut ne vix quidẽ posse videatur. neque enim fieri potest, vt cõmunis hic consensus, religiosaque cõspiratio, armata præsertim precibus, impediatur, quominus in propria conscendens, eo penetret, vbi est sedes vnitatis, templum dilectionis, domicilium Caritatis: Hoc telum inprimis dedit Deus hominibus, quo ille, ipse, qui dedit, vinceretur, & ad vota nostra conuerteretur. Hæ communium precum vires, atque impetus augentur etiam vehementius, cum Caritati Caritatem adiungentes, pro bono Reip. pro Dei omnipotentis gloria (quæ in hac electione vestris votis, ac postulationibus potissimum spectatur) preces effunditis: His igitur vestris precibus, & alijs, quæ Romæ, ac per totum Christianũ Orbem Cælesti Patri hoc nomine offerentur, iure optimo sperandum est fore, vt non solum vestræ aures, Patres Religiosissimi, diuinis vocibus pateant: sed etiam, vt eis promptè, ac celerrimè obtemperetis. Dixi ego, Cardinales Amplissimi, quandoquidem audire me, pro vestra singulari humanitate, ex hoc loco voluistis. Nunc meas preces (vt frequenter præterea faciam) vestris adiungens: Ad te Pater superne, Rex altissime, Cæli, & Terræ moderator, donorum omnium largitor, dignitatumque distributor, à quo bona quæcumque emanant, Deus, conuerto orationem meam, ac te, prostrato corde, humilique animo precor per illum ipsum Christum vnigenitum Filium tuum, cuius sanguine pretiosissimo, vt bonitatem, & clementiam tuam ostenderes, Genus humanum à sathanæ tyrannide liberasti: Adesto, & sancto tuo spiritu Cardinalium, seruorum tuorum fidelium mentes illumina, vt quid optimũ sit in hac tanta electione videant, & quod viderint, posthabitis, ac reiectis humanarum rerum omnium affectionibus, quanto citius exequantur. Fiat, Fiat.